

instituto, et quam animus fuerat. Sed quoniam videbam, opusculum hoc, breuitate omni modo sectanda, etiam breuius factum, quam conceperam animo, putabam, me non male consulturum studiosis, si capita praecipua ex eo genere ponerem, et iis, qui hoc libello in lectionibus uti vellent, facultatem darem, eam partem doctrinae, quoad prodest in interpretando, vno loco ac tempore explicandi. Ubique adpersi admonitiones de recta discendi, in genere quoque, ratione, quas studiosis non inutiles fore confido, si eas audire velint. Breuitati opportunum putavi, si in praeceptis exempla nulla ponerem, nisi in iis, ubi propria aliqua vel necessitas vel commoditas appareret. Nam ipse in lectionibus super hoc libello habendis proferre possum, et aliis, qui eo in docendo volent uti, non opus erit exemplis nostris, habebuntque ita facultatem lectionis et doctrinae proferendae, quae etiam in caeteris capitibus, quorum historicum, ex parte aliqua, argumentum est, magna a nobis suppeditata est. Impudentia est, libros, qui scholis habendis seruire debeant, ita scribere, ut omnia mansa lectoribus, ut nutrices pueris infantibus, in os ingeras.

De uniuersa interpretatione habebam, quae partim monerem studiosos, partim quererer cum his, qui, per speciem reuerentiae aduersus Scripturam sacram et verba diuina, fanaticam

b

quam.